

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Invidia s  
cum fonte primo

Virum fortem excitat ad uirtutis  
exercitium alieni liuoris aculeus, nec  
mentis oculos torpere permittit inuidia  
detractorum. Iacob, qui in baculo suo  
Jordanem transierat, non rediisset cum  
duabus turmis nisi eum inuidia Esau  
agitasset. Ioseph non imperasset  
Egypto nisi ipsum fratrum inuidia  
uendidisset. Scriptum quippe est: Abel  
esse non potest quem Caym malicia non  
exercet.

Idem (Petrus Rauennas).

Nam solos miseros ignorat inuidia;  
verumtamen  
virum fortem excitat ad uirtutis  
exercitium alieni liuoris aculeus, nec  
mentis oculos torpere permittit inuidia  
detractorum. Iacob, qui in baculo suo  
Jordanem transierat, non rediisset cum  
duabus turmis, nisi cum inuidia Esau  
agitasset. Ioseph non imperasset  
Aegypto, nisi ipsum fratrum inuidia  
uendidisset. Scriptum quippe est, Abel  
esse non potest, quem Cain inuidia non  
exercet.

Petrus Blesensis, *Epistolae*, 80 (PL 207,  
col.247B-248A).